



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Vita Et Morib. Ignatii Loiolæ, Qvi Societatem Iesv  
Fvndavit, Libri III**

**Maffei, Giovanni Pietro**

**Dvaci, 1585**

Quod eius fuerit de perfectione iudicium. Cap. II.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44004**

prout vellet, adduceret idem atq. remitteret. Quæ  
res cuipiam fortasse veritatis fidem excedere videa-  
tur; sed nobis vtique in tam recenti memoria men-  
tiendi causa non est.

*Quod eius fuerit de perfectione iudicium.*

C A P . I I .

**A**C licet precationi vsq. adeo deditus esset,  
tamen eo studio, se vel à publica re admi-  
nistranda, vel à caritatis ceterarumq. virtu-  
tum officiis minime patiebatur abduci. &  
quamquam certum vnicuiq. spatiū tēporis quo-  
tidie necessarium esse dicebat ad se colligendum, vi-  
resq. diuinitus impetrandas; tamen eos non ita lau-  
dabat, qui dulcedine solitudinis, & diuinæ familiari-  
tatis illecti, in arenam descēdere, & sua primum vitia  
euellere, deinde etiā proximos adiuuare negligerent.  
quinimmo, pluribus doctus experimentis, aiebat,  
qui minus in eo genere sibi temperant, eorum ple-  
rosq. (nisi periti cuiuspiā ductum sequantur, vel præ-  
cipuo Dei fulciātur auxilio) partim dæmonum illu-  
sionibus obnoxios esse, partim etiam contumaces, &  
sibi placentes, & in sua sententia mire obstinatos ac  
peruicaces euadere: qua peste nulla propemodum  
esset hominum cōtribus capitalior. itaq. suorum ille  
profectum, non tam ex continuata prectione, vel  
diuturno secessu, quām ē solidæ virtutis officiis, ac  
præsertim ex mansuetudine atq. animi æquitate spe-  
cētabat. Cum ē familiaribus nescio quis, fratrem præ-  
stanti religione collaudans, ad Ignatium cum admira-  
tione dixisset: En hominem iugiter prectioni va-  
cantem: immo vero, mutata voce, en, inquit Ignatius,

tius, hominem sibimet acriter imperantem. Alium quempiam, quod stomachosior esset natura, & subinde in amara verba prorumperet, se fratum consuetudini alieno tempore subtrahentem, Ignatius blande compellans: *Quin te, inquit, statutis horis in fratrum consuetudinem das?* cum ille iracundiam naturæ, bilemque prætenderet; *Næ tu vehementer erras,* ait Ignatius: etenim hæc & huiusmodi vitia, non fugiendo, sed resistendo vincuntur. Denique, licet pie preicationis laude præcelleret ipse, ut dictum est, semper tamen spiritum, quem vocant mortificationis, spiritui speculationis antetulit. nam ut in eloquentię studio, cum & ars, & usus ipse sit necessarius, longe plus tamen à sapientibus viris vñi quam preceptioni tribuitur; sic in parandis virtutibus cum & commētatio, & actio requirantur; multo plus tamen agendo & pugnando, quam speculando vel cogitando proficitur.

*De caritate ipsius in Deum. C A P. III.*

Aritate in Deum fuit, quanta pars est eum esse, qui ipsius Dei gratia rebus humanis nuntium sponte remiserit. neque solum eatenus Dominū amabat, vt præ illo reliqua omnia nihili duceret, quæ virtutis huiuscce præcipua est pars; verum inerat in amore voluptas mira: prorsus ut quantislibet pressus curis, ac molestiis fatigatus, in vnius Dei recordatione, & quasi amplexu, per summam delectationem acquiesceret. Christum vero Dominum ac liberatorem videndi sicuti est, tanta flagrabat cupiditate, vt eam ipsam ob rem solui corporis vinculis vehementius in dies optaret. Itaque, si quando grauiorem incidisset in morbum; concepta migran-